



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

xxv. Ad albugines ictusque oculorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

Ad albugines ictusque oculorum.

ACCIPITER si in oculo albuginem habeat, frequenti aqua frigida oculum foueto: deinde alliū Cappadocum; fabam, cum sale subigito, hisque oculum linito. hoc ieiunus facito, donec expurgatus sit. Vel salem Cappadocum, & ossa sepiæ subigito, illinito oculum. Curatur etiam hoc modo. ebulum contundito, eiusq. succum pinna in oculum instillato per triduum, & persanabitur. Alij ex corylo corticem detrahunt, purgant, in vino contundunt, in oculum exprimunt per triduum, & sanant. Sunt qui lac muliebre in oculum instillant, & purgant. Alij scorpios in fictilem testam nouam coniectos vsque torrefaciunt, dum redacti sint in puluerem, quem in oculum iniiciunt & expurgant. hoc faciunt, si est albugo: sin oculus ictus sit, crebrā aquam frigidam instillant, & betonicæ contusæ succum in oculum exprimunt & curant. Alij salem Cappadocum & Ponticum conterunt, oculo inspirant: vel sale communi in puluerem redacto illinunt. Quidam aeizoon, quam vocant amaranthon, tritum inspergunt.

S